bare oporteat, ſed quod neceſſarium ſit probare illud notorie factum fuiſſe, ut docent Albericus *in l. ea quidem*, *n.* 18. *C. de accuſat.* Jul. Clarus *d. q.* 9. *n.* 5. Sunt enim inter ſe longe diverſa hæc, probare aliquid notorie contigiſse, & illud tale conſtituere: ut conſtituatur, neceſsaria ſunt illa, quæ ſupra enumeravi: ut probetur duo, vel tres teſtes requiruntur, & ſufficiunt. Gloſsa *in d. c. ad noſtram*, juncto principio textus *in d. c. in omni* 4. *c. licet* 23. *de teſtib.* docent Clarus *d. q.* 9. *n.* 6. Gomezius *d. c.* 1. *n.* 43. Sicut longe aliud eſt probare famam, aliud famam conſtituere: ad probandam duo teſtes ſufficiunt deponentes de fama publica; ad conſtituendam vero eam opinio apud probos, & graves viros deſideratur, *c. inquiſitionis* 21. *in fine*, *de accuſat.* Gloſsa *verbo Confirmat*, *in l.* 3. *§. ejuſdem*, *ff. de teſtibus*.

4 *A notorio quando appelletur.* Deinde ſciendum eſt, circa factum notorium plura poſse in controverſiam adduci: vel enim in judicium deducitur; an ſit notorium; & de hoc dubitabatur; vel factum quidem notorium admittitur, ex circumſtantiis vero negatur in eo delictum contineri; vel tandem admittitur delictum notorium, contenditur tamen graviorem pœnam a judice fuiſse inflictam, quam leges eo caſu imponebant: atque ita tantum agitur contra judicis ſententiam, aut declarationem. Primi caſus exemplum refertur in præſenti capite *conſuluit*, *verſ. Sed cum*. Secundus vero contigit, quando quis confitetur ſe notorie hominem occidiſse ad propriam vitæ defenſionem, ut *in c.* 2. cum aliis, *de homicidio*. De tertio caſu agitur *in l. ſi qua pœna* 244. *ff. de V. S.* & a Gloſsa ultima *in c. quia nos* 32. *infra hoc tit.* Sane omnes hi caſus in eo conveniunt, quod in neutro principalis quæſtio ſuper notorio crimine, de quo agitur, excitatur, ſed vel illud negatur; vel de eo non quæritur. In primo, & ſecundo negatur crimen eſse notorium, atque ita res per negationem manet dubia, argumento legis 3. ibi: *Fuerit negatione dubium*, *C. quibus ad liber.* De tertio ſatis apparet: quia, ut ſupponimus, jam non agitur de crimine notorio, ſed tantum de graviori pœna a judice inflicta: inde in his, & ſimilibus caſibus ſumus extra terminos hujus textus, & ſub generali regula, quæ omnes admittit ad appellandum, qui ſe gravatos fuiſse oſtendunt, *l.* 1. *ff. hoc tit. c. omni* 2. *q.* 6. & ideo merito Doctores docent, quod quamvis a pœna legis non admittatur appellatio, *d. l. ſi qua pœna*, a declaratione tamen judicis talem, vel talem pœnam imponentis admittitur. Gloſsa *verbo Privatus*, *in c. cupiens* 17. *§. quod ſi*, *de elect. l.* 6. Rebuffus *in d. l. ſi qua pœna*, *limit.* 1. Gigas *de penſ. q.* 78. *in fine*. Ratio eſt, quia licet appellatio non ſit inventa in patrocinium iniquitatis, & ideo a pœna legis non admittatur, *d. l. ſi qua*; quia tamen declaratio judicis, quæ ab ipſius pendet arbitrio, poteſt injuriam, & gravamen continere, argumento capitis *a nobis* 28. *de ſent. excomm.* merito appellatio ab ea concedenda eſt, juxta regulam dicti capitis *omnes*.

5 *Traditur ratio decidendi.* Unde apparet ratio præſentis deciſionis, quæ ex eo provenit, quia appellatio non ad criminis manifeſti defenſionem, ſed ad innocentiæ præſidium inventa eſt, *c. cum ſpeciali* 61. *§. porro*, *hoc tit.* iniquum autem eſset patrocinari ei, qui notorie deliquit, vel alias notorius debitor eſt. Accedit, quia appellatio non eſt concedenda illi, cui manifeſtum eſt, nullam competere defenſionem, argumento capitis *cum olim* 12. *de re jud. juncto c. ſignificaverunt* 11. a contrario ſenſu, *de except.* ſed in notorio crimine nulla competit defenſio: igitur fruſtra illi concederetur appellatio. Unde regulariter negans appellationem in notoriis vim non facit, ut pluribus relatis docet Salgado *de protect. Regia* 3. *p. c.* 14. *n.* 54. qui docte numeris ſequentibus eam doctrinam limitat, primo quando judex ſimpliciter pronuntiavit, vel reum condemnavit, non ut ex facto notorio: ſecundo quando in ipſa appellatione aliqua cauſa rationabilis exprimitur, per quam notorium offuſcatur, vel ſi appellatur a ſententia interlocutoria, qua judex pronunciat ad inſtantiam partis, notorietatem adeſse. Proſequitur latius Salgado *ubi ſupra*, *ex n.* 46.

6 *Diſſolvitur dubitandi ratio.* Nec obſtat dubitandi ratio, pro cujus expoſitione quærunt late Interpretes, an confeſsus in judicio, & condemnatus, appellans audiatur, ut conſtat ex traditis a Salgado *d. c.* 14. In qua quæſtione placet communis diſtinctio, videlicet aut confeſsus, & condemnatus affert aliquam cauſam appellandi, vel nullam adducit, ita ut primo caſu appellans audiatur, ſecundo vero nullo modo appellatio admittatur, ut pluribus relatis docet Salgado *ubi ſupra*, *n.* 21. atque ita juxta primum caſum exaudiuntur textus ſupra pro dubitandi ratione adducti. Nec obſtat augmentum difficultatis deductum ex illis verbis hujus textus, *manifeſtum ſit*, *& notorium*. Nam ea verba: *Evidens*, *manifeſtum*, *& notorium*, in præſenti capite *pervenit*, & *c. conſuluit* ſunt ſynonyma, & idem ſignificant, atque important, cum non poſſit dari notorium, quin ſimul ſit manifeſtum.

CAPUT XV.

Idem a *eidem*.

SUggeſtum eſt auribus noſtris, quod cum oppreſſi, & gravati ad præſidium Ap. Sed. recurrunt, & appellatione facta iter arripiunt, adverſarii eorum appellationem interpoſitam cognoſcentes, nec ad præſentiam noſtram accedunt, nec pro ſe reſponſalem tranſmittunt. Cum autem perſenſerint illos rediiſſe, & litteras noſtras reportaſſe, in vocem appellationis prorumpunt, & iter ad nos arripiunt, ut ſic eorum ſolicitudinem, a quibus impetuntur, eludant. Verum quoniam nemini fraus ſua patrocinari debet, & falce Apoſtolici moderaminis ſunt reſecanda, quæ in ſe vitium noſcuntur calliditatis, & fraudis continere: f. t. nos ſuper hoc conſulenti taliter reſpondemus, ut ſi quis deprehenſus fuerit hoc ex fraude, vel malitia facere, ejus appellationi non deferas, nec ob id tibi cauſam commiſſam ſine congruo terminare poſtponas: quia *b* decretalem epiſtolam, qua tales videntur muniri, non ad deprimendam cujuſque juſtitiam, ſed ad removendum injuſtum gravamen, nos feciſſe cognoſcas.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita legitur in 1. collectione, *ſub hoc titul. cap.* 20. & poſt Concilium Later. *pag.* 10. *cap.* 19. legitur *Dunelmenſi Epiſcopo*; de qua Eccleſia nonnulla notavi *in c.* 3. *de tranſact.*

b *Decretalem.*) Relatam *in cap. meminimus*, *hoc titul.* ubi textum expoſui.

CAPUT XVI.

Idem a *Eboracenſi Epiſcopo*.

AD præſentiam noſtram T. & R. presbyteris convenientibus, Epiſcopo *b* Tuſculano, & P. S. Suſannæ Cardinali tuam, & ipſius cauſam commiſimus audiendam, qui ad objectionem tuam, licet non eſſet excommunicatus de jure, de facto fecerunt *c* abſolvi. Quia vero quod a fratribus noſcitur in hac parte ſtatutum, nolumus aliqua ratione mutare: f. t. p. m. quatenus prædictum presbyterum, vel alium pro eo, quia poſt excommunicationem contra appellationem factam cantavit divina, nullo modo inquietare attentes, ſed ad eum ſtatum omnia reducas, ceſſante appellatione, in quo erant *d* tempore appellationis ad Sedem Ap. factæ.

N O T Æ.

1 a EBorac.) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. cap.* 21. & poſt Concil. Later. *p.* 10. *c.* 21. De Eccleſia Eboracenſi nonnulla notavi *in c.* 4. *de reſcript.*

2 b *Tuſculano.*) Henrico videlicet de Caſtro Mariſiaco, qui fuit Monachus Ciſtercienſis, & Abbas Clarevallenſis: plura refert de eo Ughellius *tom.* 1. *Italiæ*, *fol.* 294.

c *Abſolvi.*) Ad cautelam videlicet, ut plerumque fieri notavi *in c. veniens*, *de teſtib.*

d *Tempore appellationis.*) Juxta adducta *in cap.* 1. *hoc tit.*

CAPUT XVII.

Idem a *Cant. Archiepiſc.*

CUM teneamur conſultationibus ſingulorum, quantum Dominus miniſtraverit, reſpondere, tanto gratius tibi volumus reſponſum impendere, quanto perſonam tuam abundantiori diligimus charitate. Quoniam igitur nos conſulere voluiſti, utrum ſi eorum, qui ad audientiam noſtram appellant, poſſeſſio turbata fuerit, tibi liceat, quæ ipſis turbata fuerint, reformare, eo prætermiſso, de quo eſt appellatio interpoſita: prudentiæ tuæ taliter reſpondemus, quod ſi exinde ad te querela pervenerit, id ordine judiciario tibi licebit.

N O-

N O T Æ.

1 a CAntar.) Ita etiam legitur in 1. collect. *ſub hoc tit. c.* 23. & poſt Concilium Later. *p.* 10. *cap.* 23. De Eccleſia Cantuarienſi, & B. Thoma, cui miſſa eſt hæc deciſio, nonnulla notavi *in c.* 2. *de reſcriptis*.

COMMENTARIUM.

1 CErtum eſt, attentata, & innovata pendente appellatione per judicem a quo, ipſo jure nulla eſſe, *c. non ſolum*, *c. an ſit* 42. *hoc tit. c. veniens* 19. *de jurejur.* cum aliis; quæ late congeſſi *in c.* 1. *hoc tit.* Unde difficile eſt, quomodo in præſenti a judice a quo potuit poſſeſſio reformari ea pendente. Qua difficultate oppreſſi varias in præſenti adduxerunt interpretationes Vvameſius, & alii repetentes, Sahagun *in c.* 1. *n.* 114. *de ſequeſtr. poſſeſſ.* Balboa *in c.* 1. *hoc tit. n.* 52. *& in c.* 1. *de cauſa poſſeſſ.* inter quas illa communiter recepta eſt, videlicet permitti reformationem poſſeſſionis ad faciliorem appellationis expeditionem: judex enim a quo cum juriſdictionem retineat, poteſt omnia ea facere, quæ faciliorem reddunt ſecundæ inſtantiæ exitum, *c.* 2. *de matrim. contracto*, *c. tua*, *de ſponſ. duor.* Unde poteſt præfinire terminum appellanti ad proſequendam appellationem, *c. perſonas* 4. *c. cum ſit* 5. *hoc tit.* nec ſuperioris juriſdictio inde offenditur, imo potius juvatur. Gratianus 1. *t. diſcept.* 155. *n.* 41. qui aliis exemplis hanc interpretationem illuſtrat. Sequuntur etiam Lancell. 2. *p. de attent.* 12. *limit.* 4. Scaccia *de appel. q.* 30. *n.* 20. Oſuald. *l.* 18. *comment. c.* 9. *lit. I*, Maſcard. *de probat. concl.* 148. *n.* 23. Sed hæc interpretatio merito diſplicuit Decio *in præſenti*, *n.* 2. nam etſi ejus doctrina vera ſit, tamen non adaptatur præſenti deciſioni, cum in ea per reformationem poſſeſſionis turbatæ appellatione pendente, facilius non expediatur inſtantia appellationis. Quare ea ſententia omiſſa, non inſubtiliter exiſtimant quidam Profeſſores noſtræ Academiæ, ideo in præſenti permitti poſſeſſionis reformationem judici, a quo ſine periculo attentati, quia per appellationem dumtaxat ſuſpenditur juriſdictio judicis a quo reſpectu cauſæ ſuper qua appellatum eſt, non reſpectu diverſæ, *c. ad hæc* 6. ubi probavi, *hoc tit.* unde cum in præſenti ſuper proprietate tantum fuiſſet appellatum, & cauſa proprietatis tantum ad ſuperiorem devoluta eſſet, non autem poſſeſſionis turbatæ cauſa, merito de hac, utpote diverſa cauſa, *l. naturaliter* 12. *§. nihil commune*, *l. ult. ff. de acquir. poſſeſſ. l. & an eadem* 14. *§. ult. ff. de excep. rei jud.* non impeditur judex a quo cognoſcere, cum reſpectu hujus cauſæ per appellationem non fuerit juriſdictio ſuſpenſa. Nec recte ab hac interpretatione receſſerunt nonnulli Anteceſſores noſtri, moti ex eo, quod appellatio involvit effectum attentati in cauſis connexis, *c. ſuper eo*, *in princ. hoc tit.* Unde cum poſſeſſionis, & proprietatis cauſæ connexæ ſint, *c.* 1. *de cauſa poſſeſſ. l. vindicari*, *C. de R. V. l. liberis* 7. *§. ult. ff. de liber. cauſ.* cenſeri debet ſuprema juriſdictio judicis a quo; nam etſi agnoſcam in cauſis connexis appellationem ſuſpendere juriſdictionem, & ita inducere attentata, Lancell. *de attentatis d. c.* 12. *limit.* 2. *n.* 23. Scaccia *ſupra*, *q.* 7. *limit.* 47. non tamen admittimus in cauſis poſſeſſionis & proprietatis idem evenire: quin imo diverſum jus obſervatur; nam etſi hæ duæ cauſæ reſpectu ordinis judiciarii connexæ ſint, *d. c.* 1. hoc tamen accipiendum eſt dumtaxat in prima inſtantia, non vero in ſecunda, ut docet Scaccia *q.* 11. *n.* 31. Unde fit, quod ſi de cauſa poſſeſſoria appelletur, de illa tantum cognoſcere poteſt judex ſuperior; quare cauſæ in prima inſtantia quoad reconventionem, *in c.* 1. *de mutuis petit.* in ſecunda inſtantia non ſunt connexæ. Scaccia *d. q.* 11. *n.* 31. Clezelius *de appel. c.* 6. *n.* 22. niſi in cauſa beneficiali appellatum ſit ad Rom. Pontif. nam in Curia Romana non ſolum diſceptari poteſt cauſa proprietatis, a qua appellatum fuit, verum & poſſeſſorium intentari: *Clement. unica de cauſa poſſeſſ.* Barboſa *in l. ſi de vi agatur*, *n.* 453. *de judic.* Cum ergo in præſenti ſpecie appellatio tantum fuiſſet interpoſita in cauſa proprietatis, recte potuit judex a quo de poſſeſſione turbata cognoſcere, eamque reformare.

CAPUT XVIII.

Idem *a Bonon. Epiſcopo*, *& Archipresb.*

COnſuluit nos veſtra devotio, ut ſi appellatio, quæ ab omni gravamine interponitur, teneat, prudentiam veſtram redderemus certiorem: & ideo conſultationi veſtræ taliter reſpondemus, quod ſi quis forte generaliter appellationem interponeret ab omni gravamine, quod ſibi contingere poſſet, hujuſmodi appellatio tenere non *b* debet. Si vero aliquis ſub aliquo judice ſuper omni gravamine, quod in una cauſa ſibi contingere poſſet, appellationis obſtaculum interponeret, quamquam generalis appellatio ſit interpoſita, appellationi tamen hujuſmodi ab eodem judice eſt deferendum. Super eo vero, quod quoſdam dicitis fruſtratorie, ut pœnam poſſint vitare canonicam, appellare, nec appellationem interpoſitam proſequi, hoc vobis volumus innoteſcere, quod ſi qui a vobis appellaverint, eos debetis cogere, ut infra *c* tempus congruum, & competens appellationem proſequantur, aut ſuper his, de quibus appellatum fuerit, ap. rem. judicio veſtro pareant.

N O T Æ.

1 a BOnon.) Ita etiam habetur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 27. & poſt Concil. Later. *p.* 50. *c.* 14. De Bonon. Eccleſia nonnulla notavi *in c.* 17. *de foro compet.*

b *Non debet.*) Juxta textum *in cap.* 2. *hoc tit.* ubi præſens commentarium adduxi. 2

c *Ut infra tempus.*) Congruum videlicet, juxta adducta *in c. perſonas* 4. *hoc tit.* 3

CAPUT XIX.

Idem *a Zamorenſi Epiſcopo*.

CUM parati eſſemus petitiones, quas nobis per nuntium tuum porrexiſti, benigne admittere, & efficaciter exaudire: dilectus filius noſter *b* Hiacynthus S. Mariæ in Coſmedin Diac. Cardin. conſtanti nobis aſſertione propoſuit, quod cum te ad Synodum ſuam vocaſſet, & ad ejus vocationem contempſiſses accedere, in perſonam tuam excommunicationis ſententiam promulgavit: poſt cujus excommunicationem, qui vice noſtra fungebatur, te feciſti in Epiſcopum conſecrari. Et cum dictus filius noſter Martinus Canonicus B. Jacobi firmiter aſſeveraret, quod cum in legatione *c* Regis eſſes, ideo non potuiſſes ad vocationem prædicti Cardinalis accedere: Cardinalis econtra aſſeruit, quod non in legatione Regis, ſed in *d* Salmantina Eccleſia te ſuus *e* nuntius inveniſſet, tibique dixiſſet, quod in alia Eccleſia te non eſſet requiſiturus. Et cum iterum ex parte tua fuiſſet propoſitum, quod quando venerabilis frater noſter Archiepiſcopus *f* Compoſtellanus appellaverat, tuam etiam appellationem interpoſuiſſes: Cardinalis adjecit, quod appellatio illa te tueri in illa parte non potuit, quin ad ipſius vocationem accedere tenereris. Nos vero attendentes, quomodo te non decuerit contemnere obtentu appellationis ad vocationem Cardinalis veniſſe: f. tuam monemus, atque præcipimus, quatenus vel in propria perſona, vel per idoneos nuncios Apoſtolico conſpectui te repræſentes, innocentiam & immunitatem tuam, ſi poteris, oſtenſurus.

N O T Æ.

1 ZAmorenſi.) Ita etiam legitur poſt Conc. Later. *pag.* 10. *cap.* 28. in 1. autem collectione legitur *Januenſi*; ſed male, cum tam Eccleſia Salmanticenſis, quam Compoſtellana, D. Jacobi ſint prope Zamorenſem; & Salmantina ſit ſuffraganea Compoſtellanæ. De Eccleſia Zamorenſi nonnulla notavi *in c. fin. de ſupplend. neglig.*

2 b *Hiacynthus.*) Qui Legatus a latere venit in Hiſpaniam, dum Cardinalis erat, *c.* 7. *de in integrum reſtitut.* miſſus enim fuit ab Alexandro III. anno 1174. ut refert D. Maurus Ferrer. *in hiſt. D. Jacobi*, pro ſervanda pace inter Alphonſum VIII. Regem Caſtellæ, & Ferdinandum Regem Legionenſem: quo tempore cum Legionem perveniſſet, corpora SS. Martyrum Claudii, Lupercii, & Victoris in majori Eccleſia honorifice collocavit, ut legitur in veteri marmoreo lapide ipſius Eccleſiæ, relato ab Ægidio Gonzalez *in theatro ipſius Eccleſiæ fol.* 405. Poſtea tamen defuncto Alexandro III. in ejus locum Hiacynthus ſuffectus fuit, dictuſque Cæleſtinus III. ut referunt Baronius, Coriolanus, Platina, & Papirius Maſonius *in ejus vita*.

c *Regis.*) Ut per conſequens legitime excuſatus, cum vocatio, vel juſſum Regis eximat Prælatos ab obligatione accedendi ad Synodum, *c. ſi Epiſcopus*, ibi: *Excepta gravi infirmitate corporis*, *aut præceptione Regia* 18. *diſt. cap. reprehenſibilis* 28. *quæſt.* 8. plura congeſſit Ant. Auguſt. *in epit. lib.* 4. *tit.* 65. illuſtrat Martha *de juriſd.* 4. *part. centur.* 1. *caſu* 18. ubi reſolvit cui parere debeat Epiſcopus, qui ſimul, & eodem tempore vocatur a Rege, & a ſuo Metropolitano. 3

d *Salmantina.*) Quæ urbs prope Zamoram eſt, per duodecim tantum leucas ab ea diſtans, ut notavi *in cap. final. de ſupplend. neglig.*

e *Nuncius.*) Cui in vocatione, & ſimilibus actibus, qui ad officium ejus principaliter ſpectant, plena fides adhibetur, ut probavi *in c. in omni 4. de teſtib.*

f *Compoſtellanus.*) Cujus ſuffraganea eſt Eccleſia Zamorenſis a temporibus Calixti II. cum antea pareret Archiepiſcopo Emeritenſi, ut refert Lobeyra *in hiſt. Zamorenſi.*

C A P U T XX.

Idem a *Cantuar. Archiepiſcopo.*

AD hæc. *Et* b *infra*: Præterea de iis, qui juramentum præſtant, quod ſtabunt judicio Eccleſiæ, & poſtea præſtito ſacramento appellant, id tua ſolicitudo provideat, ut eos ſervare, quod jurant, vel infra 40. dies poſt appellationem interpoſitam iter arripere ad ipſam proſequendam compellas.

N O T Æ.

1 a *CAntuar.*) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 30. & poſt Concil. Later. *p.* 10. *c.* 29. De Eccleſia Cantuarienſi plura notavi *in c. 2. de reſcript.*

b *Et infra.*) Integram hujus textus ſupplendam eſſe *ex c. ad hæc, de exceſſ. Prælat.* aut *ex c. ad hæc, de privileg.* qui textus ſunt ejuſdem Pontificis, & eidem Prælato diriguntur, notarunt Ant. Aug. & Cujac. *in præſenti.*

COMMENTARIUM.

EX hoc textu ſatis deducitur, eum qui promiſit ſtare judicio Eccleſiæ, poſſe a ſententia prolata appellare, cum contrarium ſtatui videatur in duobus capitibus ſequentibus, ubi idem Alexand. III. docet, non licere appellare illi, qui prius promiſit ſtare ſententiæ judicis. Pro cujus antinomiæ conciliatione ſciendum eſt, pacto renunciari poſſe appellationis beneficio, promittereque aliquem poſſe, ſe a judicis ſententia non provocaturum, *l. 1. §. ſi quis ante, ff. a quibus appellare, l. ult. §. ult. C. de tempor. appel.* Paulus *l. 5. ſent. c. 24. §. fin.* Illuſtrant poſt alios Clezelius *de appel. c. 2. n. 50.* Ant. Matthæus *de crimin. in l. 48. tit. 17. de ſent. c. 5. n. 11.* Unde in capitibus ſequentibus potuit litigator promittere ſtare judicio Epiſcopi, & ab ejus ſententia ſe non provocaturum: neque contrarium docetur in hoc textu; nam in eo, qui promiſit ſtare judicio Eccleſiæ, fuerat prius contumax, atque ob contumaciam excommunicatus: unde cum comparuiſſet, & promiſiſſet ſtare judicio Eccleſiæ, abſolutus fuit, ut *in c. 15. & 52. de ſent. excomm.* qui ſi poſta condemnetur, appellare recte poteſt, quia non renunciavit appellationi, ſed tantum ut abſolveretur, promiſit judicio Eccleſiæ ſtare: in duobus vero capitibus ſequentibus, qui fuit condemnatus, & ratione ſententiæ excommunicatus, promiſit ſtare judicio Eccleſiæ, ideſt ſententiæ jam prolatæ; & mox poſt abſolutionem appellavit, quo caſu non eſt audiendus. Docuit P. Gregorius *l. 5. part. tit. 15. c. 5.* licet aliter hæc jura componat Gloſſa *in c. ſequenti*, quam ſequuntur communiter repetentes *ibi.*

C A P U T XXI.

Idem a *Carnoten. Epiſcopo.*

QUæſtioni, quam facis, utrum appellationi illius ſit deferendum, qui ſicut moris eſt, prædicto juramento abſolvi meretur, ſi antequam aliquid ei mandetur, appellaſſet; vel ſi mandato recepto, cauſa ſubterfugii appellaverit; taliter reſpondemus quod poſtquam juravit, appellationi ejus, quæ juramento ejus debeat derogare, non eſt aliquid deferendum, ſed *b* ſtatim erit in eadem ſententia reducendus, quæ donec mandatum ſuſceperit, & ſuſceptum pro poſſe fuerit proſecutus, debet firmiter obſervari.

N O T Æ.

a *CArnotenſi.*) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 31. & *in cap. ſane 11. de offic. deleg.* ubi extat prior pars hujus textus, & *in c. penult. de teſtib. cogend. in 1. collect.* ubi extat ſecunda pars. Integra autem deciſio legitur poſt Concilium Later. *p.* 10. *c.* 20.

b *Statim.*) Juxta tradita præcedenti commentario.

C A P U T XXII.

Idem a *Vvinton. Epiſcopo.*

PRæterea, qui ad Apoſtol. Sedem de clericis appellant, & poſtea gravia, & enormia committentes, ſedum conveniuntur, tuentur appellatione: duximus reſpondendum, quod ſi poſt appellationem gravia committunt, & ita publice, & manifeſte, quod alii graviter ſcandalizentur, & decor eccleſiaſticæ honeſtatis deformetur, eos appellatio non debet in tanta nequitia, & iniquitate tueri, quominus eorum exceſſus canonica cenſura *b* puniatur. Porro de iis, qui ſententia excommunicationis innodati, jurant eccleſiaſtico judicio ſtare, & mox obliti in vocem appellationis prorumpunt: d. t. ſignificamus, quod eos per excommunicationem compellere debes, appellationem factam congruo tempore proſequi, vel judicio Eccleſiæ ſtare.

N O T Æ.

1 a *VVinton.*) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 32. De Vvintonienſi Eccleſia nonnulla notavi *in c. 3. de reſcriptis.*

2 b *Puniatur.*) Cujus deciſionis ratio provenit ex traditis *in c. 6 hoc tit.* quibus accedit, quod ſi crimina publica, notoria erant, etiamſi ab eis ſpecialiter appelletur, appellatio eſt rejicienda, ex adductis ſupra *in c. meminimus.*

c *Judicio ſtare.*) Juxta adducta ſupra *in c. ad hæc.*

C A P U T XXIII.

Idem a *Gradenſi Patriarchæ, & E. tit. S. Vitalis presbyt. Cardin. & Priori ſanctæ Crucis.*

COnſtitutis in præſentia noſtra dilectis filiis noſtris M. Abbate S. Felicis, & presbytero R. atque Canonico S. Marci pro controverſia, quæ de electione *b* Torcellanæ Eccleſiæ, ſuggerente maligni hoſtis invidia, ſuborta eſt, &c. *Et infra*: Ideoque vobis per A. ſ. p. m. quat. in unum pariter convenientes, utramque partem ante præſentiam veſtram convocetis, & inquiſita rei veritate diligenter, & cognita, ſi vobis conſtiterit, quod præfatus Archidiaconus poſt *c* appellationem ad nos factam, poſt denunciationem etiam *d* excommunicationis, ad denominationem ſæpedicti C. proceſſerit, & Primicerius cum Canonicis, & Plebanus cum aſſenſu Cleri Epiſcopatus, vel majoris, & ſanioris partis, prænominatum I. in Epiſcopum, & Paſtorem elegerit, non obſt. ap. vel prohibitione præſtita ab Archidiacono, ſi ipſe appellationi prius factæ non *e* detulit, electionem de præfato C. facta appellatione, & ex remota Apoſtolica auctoritate confirmetis, & tu frater Patriarcha, ei conſecrationis munus impendas. Si autem res aliter ſe habuerit, convocatis ſuffraganeis Gradenſis Patriarchatus, aliiſque viris diſcretis, & honeſtis vobis aſcitis, cauſam audiatis, & eam remoto appell. ob. ſine debito terminetis.

NO-

N O T Æ.

1 a *GRadenſi.*) Ita etiam legitur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 37. De Patriarcha hoc nonnulla adduxi *in c. ex litteris, de offic. deleg.*

2 b *Torcellanæ.*) Ita legendum eſt, non *Toletanæ*, ut legitur *in d. 1. collect.* nec *Corcellanæ*, ut vult Cujacius *in præſenti*. Torcellum enim eſt civitas Epiſcopalis Venetiæ.

3 c *Poſt appellationem.*) Qua pendente ad lectionem procedi non poteſt, *c. dilecti 55. hoc titul. c. ſi a judice, eodem lib. 6.* probat Barboſa *lib. 1. voto 33. concluſ. 4.* & quatenus attentata poſt appellationem extrajudicialem reſcindantur, expoſui *in c. 1. hoc tit.*

d *Excommunicationis.*) Unde nec eligere, nec eligi poterat, ut dicemus late *in c. ad Apoſtolicæ, de clerico excommun.*

e *Non detulit.*) Qui enim detulit appellationi adverſarii, ipſe appellans in eadem cauſa non auditur, *c. an ſit 42. hoc tit. c. bonæ, de elect.* quia fruſtra implorat legis auxilium, qui delinquit in legem, *c. quia fruſtra, de uſuris, c. final. de immunitat. Eccleſ. l. auxilium, ff. de minor.* docent Cujacius *hic*, Petrus Gregorius *l. 1. partit. tit. 15. c. 1.* 4

C A P U T XXIV.

Idem a *Eboracenſi Archiepiſcopo.*

PRopoſuit nobis M. Clericus tuus, quod ſæpe contingit, ut cum aliquis ſuper aliqua cauſa appellat, in aliis cauſis, in quibus non eſt appellatum, *b* reſpondere penitus renuat, & recuſet: ſuper quo conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod licet pro illa appellatione non minus teneatur in aliis cauſis, ſuper quibus appellatum non eſt, reſpondere; judex tamen a quo appellatur, quia illi omnino ſuſpectus eſt, cum in cauſa procedere non deberet, eum non debet ad reſpondendum ſuper aliis cauſis compellere, niſi pro crimine adeo gravi, & *c* manifeſto, quod ipſo actu haberetur reus, & merito foret damnandus.

N O T Æ.

1 a *EBorac.*) Ita etiam habetur *in cap. 38. hoc tit. in 1. collect.* De Eccleſia Eboracenſi jam aliqua adduxi *in c. 4. de reſcript.*

b *Reſpondere.*) Ut ſupra probavi *in c. 6. hoc tit.*

2 c *Et manifeſto.*) Sicut enim a ſententia lata in crimine notorio non admittitur appellatio, ut probavi *in cap. meminimus, hoc tit.* ita nec eo caſu interponi poteſt, cum a jure pœna certa præfixa eſt: nec judex tunc recuſari poteſt, ut probat Anton. *lib. 3. variar. c. 1. n. 46.*

C A P U T XXV.

Idem a *R. Cant. Archiepiſcopo.*

QUA fronte nos ſuper articulis juris conſulere valeas, non videmus; cum in iis, quæ tibi nota ſunt & liquido manifeſta, dicaris ordinem juris pervertere, & evidenter libertati eccleſiaſticæ contraire, pro qua ille glorioſus. & inclytus Martyr *b* Thomas prædeceſſor tuus ſubire martyrium non expavit. Jam enim non in Eccleſia, ſicut canonicum eſt, & honeſtum; non in palatio, non in camera tua, ſed in propria Camera *c* Regis, contra debitum juris, & contra Pontificalis officium dignitatis Epiſcoporum electiones diceris *d* confirmare. Verum, ne petitionibus tuis noſtrum denegare videamur aſſenſum, ſuper iis, de quibus nos conſulere voluiſti, tibi, prout nobis Dominus dedit, reſpondemus. Sane, ſi quis pro contumacia, vel alia *e* qualibet cauſa, interdicto, vel excommunicatione tenetur aſtrictus, & offert ſe ad juſtitiam de iis, pro quibus ſententiam ipſam excepit, judex eum, ut non in excommunicatione decedat, abſolvere *f* poterit, etiamſi pars adverſa, ne abſolvatur, appellationis obſtaculum interponat: ab ipſo tamen ante abſolutionem ſufficienti *g* cautione recepta, quod vel in præſentia R. Pontificis, ad cujus appellatur audientiam, ſi maluerit adverſarius; vel coram judice, cui cauſam R. Pontifex delegaverit, juris pareat æquitati. De iis etiam, qui ſe conqueruntur irrationabiliter excommunicationi, vel interdicto ſuppoſitos, illud idem dicimus, etſi ii, qui hujuſmodi protulerint ſententiam, ad Sed. Apoſt. duxerint appellandum. *h* Super eo vero, quod defuncto aliquo, interdum religioſæ perſonæ, interdum ſæculares poſtulant ſibi debita ſolvi, quæ defunctus ipſis debebat; & niſi ſolvantur, ne corpus defuncti ſepulturæ tradatur, vocem appellationis emittunt; hoc tuæ fraternitati duximus reſpondendum, quod niſi eis de ſolutione debitorum, dummodo ſit ſolvendo, ab hærede vel conſanguineis defuncti ſufficiens cautio detur, corpus ejus poſt appellationem non eſt tradendum ſepulturæ.

N O T Æ.

1 a *R. Cantuar.*) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 41. & recte. Richardus enim ſucceſſit S. Thomæ anno 1173. qui Anagniæ confirmationem, ac Pontificalia accepit ab Alexandro III. ut refert Parkerus *in ejus vita, num.* 39. ibi, " Erat facili, atque ſimplici ingenio, multis benignus, ac munificus, liberalis, affabilis, prudenſque fuiſſe dicitur, obſequio tam in Papam, quam in regem proclivis, quodque ab Alexandro III. Anagniæ his verbis inſtituebatur: Tibi Richarde, tuiſque ſucceſſoribus Cantuarienſis Eccleſiæ Primatum ita plene concedimus, ſicut Alanfranco, & Anſelmo, aliiſque eorum prædeceſſoribus quondam Cantuarienſibus Archiepiſcopis fuit conceſſum. " Plura de eo refert Richardus Smitheus *de Archiepiſcopis Cantuarienſ. c. 7.*

b *Thomas prædeceſſor tuus.*) De quo plura congeſſit idem Smitheus ubi ſupra, *c. 5.*

2 c *Regis.*) Henrici II. Henrici I. ex filia ſua Mathilde nepos, regnavitque annis 35. ab anno 1155. ad annum 1189. quem Petrus Bleſenſis, qui eum optime novit, ita deſcribit *ep. 66.* " Nemo eſt in conſiliis argutior, in eloquentia torrentior, ſecurior in periculis, in proſperis timidior, conſtantior in adverſis. Quotidiana ejus ſchola literatiſſimorum converſatio, jugis etiam diſcuſſio quæſtionum, & eleemoſynas ejus enarrat omnis Eccleſia Sanctorum. Plura de ipſo congerit Smitheus *in florib. Angliæ, fol. 260.*

3 d *Confirmare.*) Olim enim Epiſcoporum electiones a propriis Metropolitanis confirmabantur, ut probavimus *in cap. poſtquam 3. de electione.*

e *Alia qualibet cauſa.*) Sed excommunicatio petit contumaciam ita neceſſario, ut quodlibet peccatum mortale, etiam contra jus divinum, aut naturale commiſſum, non ſit ſufficiens materia cenſuræ, *c. in parte, el. 1. de V. S. c. 1. de ſentent. excomm. lib. 6.* probant Suarez, Vaſquez, Sayrus, & alii de cenſuris agentes, congeſti a Gibalino *de cenſuris diſquiſ. 3. ſ. 9. 2.* Igitur in præſenti non recte docetur disjunctive pro contumacia, vel alia qualibet cauſa excommunicationem proferri poſſe. Cui difficultati reſpondendum eſt, in præſenti nullo modo ſtatui alternative propter contumaciam, vel aliam quamlibet cauſam excommunicationem proferri poſſe, ſed tantum doceri, ad proferendam excommunicationem immediate neceſſariam eſſe contumaciam, mediate vero aliam quamlibet cauſam ſufficere: non tamen inde deducitur, peccatum per ſe, quantumvis graviſſimum, ſufficere ad proferendam excommunicationem.

4 f *Abſolvere poterit.*) Sed quomodo appellatione pendente, cum ſuſpenſa ſit juriſdictio judicis inferioris, a qua poteſt ipſe abſolvere excommunicatum abſque periculo attentati, contra ea, quæ adduximus *in c. 1. hoc tit.* Pro cujus difficultatis ſolutione varia adduxerunt repetentes in præſenti, Lancellotus *de attent. 2. par. c. 12. limit. 23.* alii congeſti a Salgado *de protect. 2. par. c. 5. n. 66.* Balboa *in c. 1. hoc tit. n. 62.* inter quos illa communis placuit interpretatio, videlicet in præſenti proponi jus ſingulare, quod obſervatur circa abſolutionem excommunicati, quæ poteſt impartiri etiam pendente appellatione: cujus ſpecialitatis rationes variæ aſſignantur a Doctoribus proxime relatis. Prima, quod abſolutio favorabilis eſt, *l. Arianus, ff. de O. & A.* Secunda propter periculum, quod imminet ex mora, ſiquidem pendente appellatione poteſt excommunicatus extra gremium Eccleſiæ decedere. Tertia, quia nullius intereſt, excommunicatum abſolvi, nec propter abſolutionem jus actoris perit, vel minuitur; ſiquidem ſufficiens cautio præſtanda eſt, ut in hoc textu docetur, & infra dicemus. Alii abſolutionem ipſam pendente appellatione impugnant ex eo, quod ipſam petendo a judice inferiore, videtur renunciatum ipſi appellationi, *c. ſolicitudinem 54. verſ. cum autem, hoc tit.* Cui inſtantiæ ſatisfaciunt Gabriel, & alii, quos ſequitur Scaccia *de appel. c. 17. limit. 2. n. 6.* dum docent, prædictam regulam renunciationis appellationis limitari in petitione abſolutionis. Francus in præſenti addit, abſolutionem pendente appellatione peti poſſe abſque eo, quod perinde renunciatum videatur tacite, vel expreſſe appellationi, quia tunc petitur res, ad quam concedendam etiam poſt appellationem remanet juriſdictio penes inferiorem. Sed ſi verum amamus, hæc omnia prorſus aliena ſunt a præſenti textu: ſiquidem in eo ſupponitur, non appellantem, ſed ipſum litigatorem appellatum abſolutionem petiiſſe; unde quomodo poterat renunciare appellationi, quam ipſe non interpoſuerat.

5 g *Sufficienti cautione.*) Conditio enim præcipua, & principalis abſolutionis eſt ſatisfactio, quam ſi reus præſtare nequeat, cautio ſufficiens ab eo præſtanda eſt, ut probant Ricciulus *de jure perſon. lib. 4. c. ult.* Gibalinus *de cenſur. diſquiſit. 9. q. 4. n. 7.* Ut autem agnoſcatur, quænam dicatur ſufficiens cautio, ſciendum eſt, cautionem triplicem eſſe; aliam juratoriam, quæ præſtatur pro futura, & præſumpta contumacia, *c. ex tenore 10. c. cum deſideres 15. de ſent. excomm. c. ad hæc 20. cum ſeq. hoc tit.* alia eſt realis, quæ præſtatur pro offenſa, ſeu contumacia manifeſta, pro qua exhibenda eſt realis ſatisfactio, nec ſufficit ſatiſdatio pignoratitia, aut fidejuſſoria, *c. ex parte 23. verſ. in ſecundo, juncto c. cum olim 24. de V. S. c. venerabilibus, §. porro, de ſent. excomm. in 6.* Tertia denique eſt cautio idonei, quæ præſtatur pro dubia contumacia, ſeu offenſa: dicitur autem idonea, quæ præſtatur captis pignoribus, ſeu fidejuſſoribus datis, *l. ſi mandato 59. §. ult. ff. mandati, l. ſancimus, C. de V. S.* In præſenti autem cautio ſufficiens appellatur, quæ præſtatur pignoribus captis, aut fidejuſſoribus datis: juratoria autem cautio non eſt ſufficiens, ut pluribus relatis docet Barb. *c. 6. in ſelect. ad hunc textum:* aliquando tamen eam ſufficere docuerunt Layman *lib. 1. ſumma, tr. 5. p. 2. c. 2. n. 8.* Gibal. *de cenſur. diſq. 9. n. 7.*

h *Super eo vero.*) Merito hæc verba omiſit Raymundus; 6
nam licet in Anglia conſuetudine introductum eſſet obærati cadaver ſepulturæ non tradi, donec ſufficiens cautio ab hæredibus, vel conſanguineis daretur, ut ex Alano, & R. notat Antonius Auguſtinus in præſenti, quod ab Ægyptiorum inſtitutis forſan emanavit, apud quos lex erat, ut cadaver jure pignoris retineretur, quod ſuſtulit Juſtinianus in novella *60. c. 1.* de hac etiam immanitate agit D. Ambroſius *lib. 1. de Tobia, c. 10.* ibi: „ Vidi ego a fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum, dum fœnus expoſcitur. „ Apud omnes tamen alias nationes jure, & ratione receptum eſt, ne ſepultura debitoris impediatur a creditoribus, etiam prætextu obligationis guarentigiæ, *authent. ut defuncti, ſeu funera eorum non inquietentur, l. quod ſit injuſtum, C. de ſepulchro viol. l. 13. tit. 6. part. 7. l. ult. tit. 13. p. 1.* probant, & illuſtrant Covarr. *lib. 2. var. c. 1. n. 10.* Cujacius *in novel. 60.* plures congeſti ab Uſelio, & Faria *in addit. ad Covar. d. c. 5. n. 10.*

C A P U T XXVI.

Idem *in Concilio* a *Later.*

REprehenſibilis valde conſuetudo in quibuſdam partibus inolevit, ut cum fratres, & Coepiſcopi noſtri, ſeu etiam *b* Archidiaconi appellaturos quoſdam in cauſis ſuis exiſtimant, nulla penitus commonitione præmiſſa, ſuſpenſionis, ſive excommunicationis in eos ſententiam ferant: alii etiam dum ſuperioris ſententiam, & diſciplinam canonicam reformidant, ſine ullo gravamine appellationem objiciunt, & ad defenſionem iniquitatis uſurpant, quod ad præſidium innocentium dignoſcitur inſtitutum. Quocirca ne Prælati ſine cauſa valeant gravare ſubjectos, vel ſubjecti pro ſola voluntate ſub appellationis obtentu correctionem valeant eludere Prælatorum, præſenti decreto ſtatuimus, ut nec Prælati, niſi *c* canonica commonitione præmiſſa, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos, niſi forte talis ſit *d* culpa, quæ ipſo ſuo genere ſuſpenſionis, vel excommunicationis pœnam inducat: nec ſubjecti contra diſciplinam eccleſiaſticam, ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quiſquam pro ſui neceſſitate crediderit appellandum, competens ad *e* proſequendam appellationem terminus præfigatur, infra quem ſi forte proſequi neglexerit, tunc Epiſcopus libere ſua auctoritate utatur. Si autem in quocumque negotio aliquis appellaverit, & eo qui appellatus fuerit, veniente, qui appellaverit, venire neglexerit; ſi quidem proprium habuerit, competentem illi recompenſationem faciat *f* expenſarum, ut hoc ſaltem timore deterritus, in gravamen alterius non facile quis appellet. *g* Præcipue vero hoc in locis religioſis volumus obſervari, ne monachi, ſive quicumque religioſi viri, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regulam Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant: ſed humiliter, ac devote ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua eis fuerit injunctum.

N O T Æ.

a LAter.) Generali videlicet ſub Alexandro III. celebrato, *c. 6.* ex quo ita textum hunc reſtituo. De hoc Concilio Lateran. aliqua notavi *in cap. nonnulli 27. de reſcript.*

b *Archidiaconi.*) Qui ex conſuetudine in nonnullis Eccleſiis juriſdictionem contentioſam exercent, ut probavi *in cap. ad hæc, de offic. Archid.*

1 c *Canonica.*) Trina videlicet, *c. ſacro, de ſent. excom.* ubi commentarium hujus prioris partis dabimus.

d *Talis ſit culpa.*) Ex his verbis non deducas, poſſe excommunicationem proferri ab homine abſque trina monitione; quia hæc verba intelligenda ſunt de excommunicatione a jure impoſita, ubi cum in corpore juris ſcripta ſit, non indiget nova monitione, ut docent Covarr. *in c. alma, 1. p. §. 9. num. 5.* Gibalinus *de cenſur. diſquiſ. 6. q. 1.*

e *Ad proſequendam.*) Juxta adducta *in cap. ex parte, el 2. de reſcript.*

2 f *Expenſarum.*) Punitur enim non ſolum appellans, qui non fuit proſequutus appellationem, in expenſis, viaticum videlicet, & ſimiles ſumptus, *l. 1. §. ult. l. 3. in fine, ff. hoc tit. l. ult. §. fin. C. de tempor. appel. c. ſæpe 44. hoc tit. c. 3. de eo qui mittitur in poſſeſſ. cap. 8. hoc tit. in 2. collect. novel. 49. Juſtin. c. 4.* Cujac. *in d. c. ſæpe 44.* verum etiam & appellatus, qui legitimo tempore non comparuit coram ſuperiore, *c. 1. §. fin. hoc tit. in 6.* ubi ratio redditur, ne eludatur judex, & adverſarius. Faciunt textus *in c. cum ſpeciali 61. §. exceſſus, c. interpoſita 70. §. fin. hoc tit. novel. 126. §. in omnibus:* præſtantur autem iſtæ expenſæ ob contumaciam tantum, non habita ratione principalis cauſæ, ſeu litis, an juſta, vel injuſta ſit, *c. cum dilecti, in fine, de dolo & contum. c. ad hoc, in fine, de ſequeſtr. poſſeſſ. c. quoniam, §. in aliis, ut lite non conteſt.* eruntque iſtæ expenſæ ſolvendæ, antequam contumax ulterius audiatur, *d. c. quoniam, §. in l. ſancimus, C. de judic.* docet Petrus Gregorius *lib. 5. partit. tit. 15. c. 6.*

g *Præcipue.*) Appellare enim non poſſe religioſos a correctione, jam probavi *in c. irrefragabili, de offic. ordin.* ubi commentarium hujus textus dedi: nec ipſi poſſunt implorare auxilium brachii ſæcularis. Concil. Salzeburg. tempore Gregorii X. *can. 71.* „ Si adverſus correctionem ſuperioris ſui monachus, aut religioſus quicumque ſæcularis perſonæ auditorium, aut potentiam duxerit invocandam, ſi hujuſmodi invocatione uſus fuerit, carcerali cuſtodia tanto tempore concludatur, donec præſumptionem hujuſmodi arbitrio pœna ſufficiens recompenſet. „ Ideoque in his cauſis apud nos non dari recurſum per viam violentiæ, pluribus relatis probat Salgado *1. par. de protect. Reg. c. 2. §. 5.* 3

C A P U T XXVII.

a Idem.

AD hæc præſentibus tibi litteris duximus indulgendum, ut cum a te ſuper aliqua cauſa fuerit appellatum, fas tibi ſit appellantes appellatione ceſſante compellere, ut vel ap. interpoſitam *b* proſequantur, vel coram te juris pareant æquitati; aut ſi alterutra partium te ſuſpectum habuerit, te inſiſtentem *c* judicem eligant, qui propoſitam inter eos valeat dirimere quæſtionem.

N O T Æ.

4 a IDem.) In prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 43.* additur *pars capitis Eam te;* ex quibus verbis deducitur, in præſenti referri ſecundam partem textus *in cap. eam te, de ætate, & qualit.* ex qua inſcriptione reſtituenda eſt hujus textus littera, & ſupplenda.

b *Proſequantur.*) Juxta adducta *in c. 6. hoc tit.*

c *Judicem eligant.*) Juxta textum *in c. cum ſpeciali 61. §. ult. hoc tit.* ubi commentarium hujus textus dabimus.

C A P U T XXVIII.

Idem a *Sarisbar. Epiſcopo.*

PErvenit ad nos, quod cum Rogerium filium Vuillelmi Eccleſiæ tuæ Canonicum, ut debitam in eadem Eccleſia reſidentiam faceret, monuiſſes, ad audientiam noſtram in appellationem proruperit, & appellationi ſuæ terminum proximum feſtum Beati Lucæ præfixit. Quoniam igitur indignum eſt per ejus, per aliorumve ſubterfugia præſcriptam Eccleſiam debitis obſequiis defraudari, cum ipſe *b* fruſtratoriæ dilationis cauſa videatur appellaſſe: per A. ſ. p. m. quat. præfatum Rogerium diligenter, & ſtudioſe commoneas, ut in eadem Eccleſia debitam, omni mora poſtpoſita, reſidentiam faciat, vel infra proximum feſtum Beati Lucæ appellationem ſuam proſequuturus, iter ad nos veniendi arripiat. Interim vero alicui honeſtæ perſonæ vices ejus in Eccleſia prætaxata exequendas committas, & ei de beneficiis illius ap. ceſſ. aſſignes, unde poſſit congrue *c* ſuſtentari. Quod ſi prælibatus Rogerius alterum iſtorum neglexerit adimplere, tu eum ex tunc præbenda ſua, omni cont. & ap. poſtp. *d* prives, & eam alicui diſcreto, & honeſto viro, nullius ap. admiſſa, concedas pariter, & aſſignes.

N O T Æ.

1 a SArisbar.) Sarisbaria civitas eſt Angliæ Epiſcopalis, cujus meminit ſæpe ſæpius Polyd. Virgilius *in hiſtor. Angliæ,* cujus Prælato miſſa eſt præſens deciſio, quæ etiam reperitur in prima collectione, *ſub hoc titul. cap. 44.*

b *Fruſtratoriæ.*) Quæ etiam dicuntur ſuperſtitioſæ, ſuperfluæ, & ſupervacuæ, *in l. 6. & ult. C. quando provocare;* importunæ, & moratoriæ, *in l. 1. 6. & per tot. C. quorum appell. l. 7. C. Theod. eod. tit.* quia ut ſcriptum eſt *in l. 1. eod. tit. & Cod.* ludificatio potius eſt, quam appellatio, quæ fruſtratorie interponitur; unde rejiciendæ ſunt ſimiles appellationes potius quam admittendæ, *c. qualiter 17. de judic.* Paulus *lib. 5. ſentent.* ibi: „ Moratorias appellationes, fruſtratoriaſque, non tam appellationes, quam ludificationes non admitti: „ præcipue ſi cauſa commiſſa ſit ſub clauſula, *Appellatione remota: c. paſtoralis 53. hoc tit.* vel ſi ipſa fruſtratio evidens ſit, ut contingit ſi abſens ex contumacia damnatus appellet, qua appellatione inſuper habita, ſententia exequenda eſt, *l. 1. Cod. quorum appell. l. & poſt, §. ult. ff. de judic. l. properandum, §. cum autem, C. eod. tit. l. ex conſenſu, §. ult. ff. de appell.* vel ſi convictus, & confeſſus appellet, qui audiendus non eſt, *l. 2. C. quorum appel.* cujus verba illa: „ Qui manifeſtam violentiam commiſerit, argumentis convictus, teſtibus ſuperatus, vocem etiam propria vitium, ſceluſque confeſſus, appellans audiatur; „ deſumpta ſunt *ex l. 1. l. 14. Cod. Theod. eod. tit.* Appellationem autem fruſtratoriam recipere, ut aliquando fieri ſolet, & innuitur poſt Concil. Later. *p. 10. c. 6.* verecundia eſt, *l. 42. C. Theod. hoc tit.* ibi: „ Probamus verecundiam judicantis, ſi ſuperfluam quoque recipiat provocationem. „ Et Symmachus *in epiſtolis lib. 10. epiſt. 29. & lib. 4. epiſt. 46. & 55.* ait: „ Verecundia potius quam jure ſuſcepit provocationem, non ſtante ſcilicet juſta ſententia. „ Notavit Jacob. Gothofred. *in l. 42. Cod. Theod. de appell.*

c *Suſtentari.*) Juxta textum *in capit. exſtirpandæ, §. ultim. capit. expoſuiſti, de præb. cap. poſtulaſti, de reſcript. cap. 3. de offic. Vic.*

d *Prives.*) De privatione præbendæ ob abſentiam Canonici, plura congerit Lotherius *de re benef. lib. 3. c. 27.* & nos dabimus *in c. 2. de cleric. non reſid.*

COMMENTARIUM.

2 PRæſens textus difficilis viſus eſt Interpretibus duplici ex capite: Primo, quia in eo ſupponitur appellationem admitti a præcepto de reſidendo; cum certum ſit a mandato de reſidendo appellari non poſſe, *c. relatum 4. c. conquerente 6. de cleric. non reſid.* Trident. *ſeſſ. 23. de reform. c. 1. in fine:* probat Genuenſis *practic. c. 311. per tot.* Igitur non recte in præſenti ſupponitur, Rogerium a mandato Epiſcopi Sarisbarienſis de reſidendo appellare potuiſſe. Secundo quia ut ſupra probavi *in c. 1.* pendente appellatione nihil poteſt innovari, cum per appellationem ſuſpendatur cauſæ cognitio: ſed in præſenti docetur, poſſe Epiſcopum poſt appellationem interpoſitam iterum Canonicum admonere, ut reſideat, aut appellationem proſequatur; quod poſterius ſi eligat, poſſe Epiſcopum interim Vicarium ei aſſignare. Igitur præſens Alexandri deciſio non convenit juris pincipiis. Primæ difficultati ut ſatisfaciamus, dicendum eſt, multum intereſſe, an judex tantum jubeat clerico, ut reſideat in ſua præbenda, aut beneficio; an vero cauſa cognita decernat, ſeu pronunciet, illum reſidere debere. Primo caſu appellatio admittitur, quia poteſt juſtam aliquam cauſam coram ſuperiore allegare, ob quam excuſetur a reſidentia: quo caſu accipiunt præſentem textum Vvameſ. *num. 4.* Lotherius *dict. cap. 27. num. 74.* Poſteriori vero caſu appellatio admitti non poteſt, quia cum ſententiam præcedat cauſæ cognitio, creditur abſque juſta cauſa eum appellare, cum eam coram judice inferiore non propoſuiſſet; quo caſu procedunt textus *in dict. cap. relatum, d. c. conquerente.* Secundæ difficultati reſpondendum eſt, omiſſis traditis a Lancelloto *de attent. c. 21. limit. 18.* Balboa *in c. 1. n. 51.* appellationem in præſenti non producere effectum attentatorum, imo potius poſſe Epiſcopum ea pendente Vicarium aſſignare, eique congruam ſuſtentationem præſtare, ne Eccleſia debitis fraudetur obſequiis, & divinis officiis, maxime cum hæc Vicarii aſſignatio tendat ad acuendam appellantis negligentiam, & ut citius inſtantia ipſa appellationis expediatur.

C A P U T XXIX.

a Idem.

COnſuluit nos tua fraternitas utrum ſit appellationibus deferendum a chariſſimo in Chriſto filio noſtro I. *b* Rege Francorum pro Judæis interpoſitis, ut mancipia detineant Chriſtiana; & utrum ſuſtinere debeas, quod de novo conſtruant ſynagogas, ubi eas nullatenus habuerunt, &c. *Et infra:* Unde non convenit, ut pro hujuſmodi appellationibus ab obſervatione decreti debeas abſtinere.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 1.* Cujacius autem in præſenti exiſtimat ſupplendam eſſe ita inſcriptionem: *Idem Pariſienſi Epiſcopo.* Temporibus Alexandri III. Eccleſiam Pariſienſem regebat Mauricius de Soliaco, ut referunt Chenu *in ſerie Præſulum Pariſ. n. 70.* Fratres Sammartani *tom. 3. Galliæ Chriſt.* in ipſa Eccleſia.

2 b *Rege.*) Ludovico Juniore videlicet, qui ſi a duræ cervicis pertinacia deficerent Judæi, pollicitus eſt eos ſe pro Pannonibus ſui habiturum, perpetuaque donaturum immunitate. Sed cum ipſos nullis ſanctorum Patrum concionibus ad orthodoxam fidem revocare potuiſſet, nec prolatis quidem in medium evangelicis ſcripturis, publico omnes edicto Pannonia exegit. Refert Renatus Chopinus *de ſacra pol. lib. 3. tit. 1.* Tamen quia ante hoc edictum, quod poſtea confirmavit filius ejus Philippus Auguſtus, Ludovicus ipſe ſinebat Judæis mancipia Chriſtiana detinere, Epiſcopus Pariſienſis hoc magnopere prohibuit juxta utriuſque juris conſtitutiones, quibus cautum eſt, ne Judæi Chriſtiana mancipia poſſideant, *l. unic. Cod. ne Chriſtianum mancipium, c. mancipia, 54. diſt. c. 1. c. conſuluit* (qui textus cum hoc jungendus eſt) *de Judæis:* a qua prohibitione cum Ludovicus ad Alex. III. appellaſſet, Pontifex decrevit hujuſmodi appellationi deferendum non eſſe, & recte, quia ab eo quod fit ſecundum canonicas ſanctiones, juriſque diſpoſitionem, appellatio interponi non poteſt, ut probat late varias ex hoc principio reſolvens forenſes quæſtiones Salgado *de protect. Regia 2. p. c. 5. ex num. 2. uſque ad 34.* Unde Rex, cum contra prædictas utriuſque juris conſtitutiones provocare intenderet, merito hujuſmodi appellationi deferendum non eſſe Alexander decrevit.

C A P U T XXX.

Idem a *Januenſi Epiſcopo.*

AD hæc, ſicut aſſeris, quandoque ſuper cauſa, quæ judici ap. rem. committitur, altera pars appellat, aſſerens ſe pro eadem nuntium ſuum ad Sed. Ap. deſtinaſſe. Ad quod taliter reſpondemus, quod Judex, ſi conſtiterit ei ipſum appellantem, antequam partes citatæ eſſent, vel delegatio perveniſſet ad ipſum, qui appellationis interponit obſtaculum, nuntium deſtinaſſe, factæ debet appellationi deferre: ſed ſi poſt citationem fuerit deſtinatus, ſatis poteſt exequi, quod *b* mandatur.

N O T Æ.

a JAnuenſi.) Ita legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc titulo capite 2.* De Januenſi Eccleſia, ſeu Genuenſi, aliqua notavi *in capite cum inter 21. de elect.*

b *Quod mandatur.*) Juxta adducta ſupra *in capit. meminimus.*

C A P U T XXXI.

a Idem.

DE *b* Priore, qui non deferens protectioni noſtræ, & appellationi ad Sed. Ap. factæ, quemdam Canonicum ſuum veſtibus fecit omnibus uſque ad *c* camiſiam ſpoliari, & eum accuſationi, & appellationi renunciare coegit, quia de ſuis, & quorumdam fratrum enormitatibus *d* murmuravit; id tuæ ſolicitudini duximus inſinuandum, ut rei veritate inquiſita, ſi inveneris, quod pro evitanda diſciplina prædictus *e* Canonicus appellavit, eidem Priori propter hoc nullam pœnam infligere debes, quoniam ſacroſancta Romana Eccleſia hujuſmodi appellationem admittere non *f* conſuevit, ne monachis, vel Canonicis regularibus præberetur audacia delinquendi. Ceterum ſi præfatus Canonicus Priorem propter ſuas enormitates manifeſtas, quæ ipſum notabilem reddunt, ad Sed. Ap. appellavit, ſi ipſe tali appellationi deferre contempſerit, eum cum litteris varietatem continentibus de tanto exceſſu ſatisfactum, ad Sed. Ap. venire compellas; ſuis autem in hac malitia complicibus talem pœnam infligas, quod ceteri audientes ſimilia non audeant perpetrare.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui reſcribat Alexander III. Cujacius autem in præſenti exiſtimat Alexandrum reſcribere Eboracenſi Archiepiſcopo, & recte, ut ex infra dicendis apparebit.

b *De Priore.*) Non exprimitur cujus Monaſterii, & ut ex textus ſerie liquet, agitur in præſenti de Canonicis regularibus; unde exiſtimo Alexandrum agere de Priore, & Canonicis ipſius Eccleſiæ Eboracenſis. Temporibus enim Alexandri III. ipſa Eccleſia Metropolitana Eboracenſis erat Canonicorum regularium, ut conſtat ex litteris ipſius Alexandri III. miſſis ad Archiepiſcopum Eboracenſem, cui mandat, ut in ſuo Monaſterio Canonici regularem habitum deferant. Refert Pennotus *lib.* 2. *hiſt. canonic. regul. c.* 37. *n.* 6. *in fine.*

2 c *Camiſiam.*) Camiſia poſterioribus ſæculis dicebatur veſtis interula. Guibertus *l.* 3. *de bello ſacr. in fin.* ibi: „ Lineam interulam, quam nos camiſiam vocamus. *Et lib.* 8. Conciſam camiſiam, quam ſubuculam dicunt. Eginardus in vita Caroli Magni: *Ad corpus camiſia linea, & fœminalibus lineis utebatur.* Beda *in Martyrol. die* 18. *Kal. Janu. De ipſis palliis altaris camiſias ſibi, & fæmoralia fecerunt.* Illuſtrant Voſſius *de vitiis ſerm. cap.* 4. Lindembrog. *in Gloſſ. verbo Camiſia.*

3 d *Murmuravit.*) Peſſimum vitium detractionis eſt, damnatum in ſacris litteris, *Num. c.* 12. *Exodi c.* 16. *Eccleſiaſt. c.* 1. „ Coſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & „ a detractione parcite linguæ. *Et c.* 10. In cognitione tua „ Regi non detrahas, & in ſecreto cubiculi tui non maledixeris diviti. *D. Paulus* 1. *ad Corinth. c.* 10. Neque murmuraviſtis, ſicut quidam eorum murmuraverunt. „ Et ſanctis Patribus ſatis exoſum eſſe hoc vitium, conſtat ex D. Gregorio *in cap. ex merito* 6. *quæſt.* 1. ex D. Hieronymo *in epiſt. ad Ruſticum*, ibi: „ Nulli detrahas, nec in eo te ſanctum putes. *D. Auguſt. ſerm.* 4. Omnino abſcinde a lingua tua vitium detractionis, & alienam vitam non lacerес. „ Qui ſanctus Doctor ſequentes fecit in cœnaculo ſuo verſus exarare.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

D. Bernardus *lib.* 2. *de conſider. ad Eugenium*, ibi; Detrahere, „ aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non „ facile dixerim. „ Plura congerit Regens Carolus Tapia *in ſuo ſpeculo de murmuradores.*

e *Canonicus.*) Regularis videlicet, appellantur enim clerici regulares abſolute Canonici uſu antiquiſſimo, & frequentiſſi- 4
mo, & apud omnes veteres ante ſexcentos annos recepto, adeo ut ſupponat Beatus Petrus Damianus pro re notiſſima, uſque ad ſua tempora nomine Canonicorum ſolos regulares Clericos venire conſueviſſe, quemadmodum videri poteſt apud illum in ſua epiſtola 9. *lib.* 5. *ad Clericos Fanenſes*, ubi agit contra clericos proprietarios, qui cum ſine regula viverent, Canonici nihilominus nuncupari affectabant. „ Plane, *inquit*, quo pacto quis valeat dici Canonicus, niſi ſit regularis? quomodo monachus, niſi juxta vim ſui nominis, „ ſit etiam ſingularis? Volunt ſiquidem canonicum, hoc eſt „ regulare nomen habere, ſed non regulariter vivere. „ Quo modo Canonici pro regularibus accipiuntur *in c. c. obſervandum* 15. *quæſt.* 2. *c. pernicioſam* 18. *quæſt.* 2. *cap. in omnibus, de conſecrat. diſt.* 5. *cap. cum cauſam, cap. Cumana, de elect. c. poſt tranſlationem, de renunc. cap. intelleximus, de ætate & qualit. cap. cum in Eccleſiis, de majorit. & obed. c. dilecti, de judic. c. cum ſuper, de confeſſis, cap. cum veniſſent, de reſtit. ſpol. cap. ex litteris, de dolo & contum. cap. V. & A. de re judic. cap. ad noſtram, de confirm. utili, cap. ſicut nobis, c. licet, de regul. c. nullus, de jurepatron. cap.* 2. *de Eccleſ. ædific. c. cum olim, el* 2. *de privil. c. non dubium, de ſent. excom. c. ſi Canonici, de offic. ordin. in* 6. *Clement. diſpendioſam, de judic.* & aliis congeſtis ab Azorio *t.* 1. *inſtit. lib.* 12. *c.* 22. *q.* 2. Pennoto *lib.* 2. *hiſt. canonic. regul. c.* 1. *n.* 6.

f *Non conſuevit.*) Uti probavi *in c. licet, de offic. ordin.* nec in his cauſis correctionis dari recurſum per viam violentiæ, probat Salgado 1. *p. de protect. cap.* 2. §. 5.

C A P U T XXXII.

Idem a *omnibus Abbatibus.*

QUia nos elegit Dominus in hæreditatem ſibi, & a longe de alto proſpexit, paci & tranquillitati veſtræ, quantum divina gratia concedit, proſpicere cupientes, Ap. vobis auctoritate concedimus, & indulgemus, ut Abbates veſtri Ordinis, qui de aliqua publica infamia reſperſi, aut convicti publice ſunt, ab Abbatibus, & deinde communi Capitulo commoniti ſponte ſuæ Prælationi cedere noluerint, ad Sedem Ap. appellandi facultatem non habeant, ſuum reatum per diffugium defendendo.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 5. Sed tam epigraphen, quam litteram hujus textus jam reſtitui *in c.* 1. *de ſuppl. neglig.* ubi retuli integrum privilegium hoc ab Alexandro III. Ciſtercienſibus conceſſum: cujus privilegii occaſionem refert Manrique *tom.* 1. *annal. Ciſtercienſ. c.* 3. Cum enim per annos 1169. Monachi, & nonnulli Abbates, quarumdam dignitatum nimium tenaces, moniti Prælaturis cedere nollent, immo & juſſi per appellationis diffugium ſe tuebantur, ſæpe ſæpius ad Romanum Pontificem appellantes; & cum agnoſceret Alexander III. monaſticam diſciplinam magnopere labefactari, privilegium illud conceſſit Ordini Ciſtercienſi, nempe quod nulli penitus liceret a ſententiis Ordinis extra ipſum appellare, etiam ad Sedem Apoſtolicam, nulla prorſus ſimilis indulti admiſſa exceptione. Proſequitur Manrique *ubi ſupra, num.* 1. & nos textum hunc expoſuimus *in cap. irrefragabili, de offic. Ordin.*

C A P U T XXXIII.

a Idem.

AD aures noſtras te ſignificante pervenit, quod cum interdum tibi, & aliis cauſas ſub ap. rem. *b* delegamus, altera partium ut examen valeat declinare judicis delegati, quæſtiones incidentes apponit: & cum in principali cauſa appellatio ſit remota, in appellationis tamen vocem prorumpit, appellationi ſuæ terminum non præfigens; ſicque partem aliam ſine proſequutione appellationis facit manere ſuſpenſam. Poſtulabas igitur tibi, & aliis judicibus indulgeri, ubi cauſæ ſine appellationis remedio committuntur, ut vobis incidentes quæſtiones ſine debito poſt. app. terminare liceret. Ceterum cum incidentes ſæpius *c* præjudiciales non immerito judicentur, petitioni tuæ in hac parte non duximus annuendum; ſed ne pars fruſtratoriis diutius judiciis affligatur, appellanti ad proſequutionem appellationis terminus congruus præfigatur, ita quod ſi appellationem non fuerit proſequutus, ex tunc, tam ſuper incidentibus quæſtionibus, quam ſuper cauſa principali ſtare judicio delegati judicis, ap. poſtp. *d* compellatur; & ita nec uni commune *e* remedium ſubtrahetur, nec erit alter fruſtatoriis dilationibus impeditus.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. capit.* 6. nec exprimitur Prælatus, cui reſcribat Alexander in præſenti, nec ex generalibus verbis, quibus utitur, cognoſci poteſt, quem Epiſcopum, aut Prælatum alloquatur.

b *Appellatione remota delegamus.*) Quod pleramque contingit, ut probavi *in cap.* 1. *de reſcript.*

c *Præjudiciales.*) Atque ideo magni momenti judicantur, *l.* 1. *C. de ordin. judic.*

d *Compellatur.*) Juxta adducta ſupra *in cap. perſonas*: ex cujus textus commentario præſens petendum eſt.

e *Commune remedium.*) Ut etiam commune auxilium dicitur *in l.* 3. §. *ult. ff. rem ratam haberi.*

C A P U T XXXIV.

Idem a *Henrico Abulenſi Epiſcopo.*

AD audientiam noſtram perveniſſe noveris, quod cum Zamorenſis Epiſcopus *b* Vv. Presbyterum Eccleſiæ ſancti Jacobi Zamoren. *c* quæ eſt propria Compoſtellanæ Eccleſiæ, multipliciter moleſtaret, tandem presbyter pro hujuſmodi gravaminibus evitandis, ſe, & Eccleſiam, ac parochianos ſuos noſtræ, ac Romanæ Eccleſiæ protectioni ſubjecit: ſed præfatus Epiſcopus pro eo forte, quod expreſſim non appellavit, in eum poſt invocatum Sedis Ap. patrocinium, contra etiam privilegium Compoſtellanæ Eccleſiæ indultum, excommunicationis ſententiam promulgavit. Licet autem præfatus presbyter ex ſimplicitate forte appellationis verbum non expreſſit, quia tamen poſtquam ſe, & ſua noſtræ protectioni *d* ſubjecerat, non debuit ſine cauſæ cognitione aliqua ſententia condemnari: f. t. per A. ſ. m. quat. ſuper hoc inquiras diligentius veritatem, & ſi ita tibi conſtiterit, ſententiam, quam præfatus Epiſcopus in eumdem presbyterum tulit, contrad. & ap. ceſs. denunties non tenere. Poſtmodum vero ſi præfatus Epiſcopus adverſus presbyterum forte agere voluerit, cauſam audias, & ſine debito decidas. Eumdem quoque Epiſcopum ſtudioſius moneas, & inducas, ut a moleſtiis, & gravaminibus Compoſtellanæ Eccleſiæ omnino deſiſtat, & ſic jure ſuo ſit contentus, ut ea, quæ ad prædictam Eccleſiam ſpectant, ſibi nequaquam permittat uſurpare.

N O T Æ.

1 a ABulen.) Ita etiam habetur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 7. Abula eſt Civitas Hiſpaniæ Citerioris in Caſtellæ veteris Regno, inter Salmanticam, & Segoviam ſita: ejus conditorem Herculem contendunt accolæ, & ex fragmento cujuſdam elegiæ probat Tamayo *lib.* 1. *Martyrol. die* 21. *Februarii.* Olim in Hiſpania duplicem fuiſſe urbem Abulæ nomine, aliam in Bateſtanis, aliam in Vettonibus, de qua agimus, probat idem Tamayo *t.* 3. *die* 1. *Menſis Maji.* Plura de Abulenſi civitate congerunt Fr. Ludovicus de Ariz *in hiſtoria ipſius urbis*, Ægidius Gonzalez Davila *in theatro ipſius Eccleſiæ*, & nos *in c.* 5. *de ſuppl. negl.* Jam a primis Eccleſiæ ſæculis nobilis hæc urbs Epiſcopali Cathedra decorata eſt, ex qua celebre Sanctorum agmen Hiſpanici orbis circulos illuſtravit. Ejus Epiſcopo præclaro viro D. Sancio dicto miſſa eſt præſens deciſio.

b *Vv.*) Vvillelmus videlicet, qui Eccleſiam Zamorenſem rexit uſque ad annum 1180.

c *Quæ eſt propria.*) Paret enim Eccleſiæ Compoſtellanæ, adeo ut in ea Rectorem conſtituat Archiepiſcopus Compoſtellanus.

2 d *Protectioni ſubjecerat.*) Ex his verbis aliqui deducunt, per ſubjectionem protectioni Romanæ Eccleſiæ, monaſterium, vel Eccleſiam eximi a juriſdictione ordinaria: ita Gloſſa in præſenti, Rodriquez *t.* 2. *qq. regular. q.* 63. *art.* 3. Sed contrarium verius eſt, videlicet ex receptione ſub protectione Sedis Apoſtolicæ exemptionem ab ordinaria juriſdictione non probari. Docent Barboſa *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 121. *num.* 26. Tamburinus *de jure Abb. diſp.* 15. *quæſt.* 5. & probatur expreſſe *ex cap. ex part.* 18. *c. recepimus, de privil.* Nec contrarium deducitur ex hoc textu; nam pro ejus interpretatione duo caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt, quando generaliter quis ſubjicitur protectioni Romanæ Sedis, de quo *in c. recepimus, d. c. ex parte*: & tunc non eximitur ab ordinaria juriſdictione. Secundus eſt, quando quis lite pendente, propter gravamen ſibi illatum in judicio, vel comminatum, ſe ponit ſub protectione Sedis Apoſtolicæ; & cum talis ſubjectio habeat effectum appellationis, & per conſequens ſuſpendat juriſdictionem judicis inferioris, a quo tacite appellavit, juxta textum *in c. ſi a judice, hoc titul. in* 6. ideo poſtquam quis ſe ſubjecit Sedi Apoſtolicæ, omnia geſta per inferiorem, tanquam attentata revocantur, ut contingit etiam in arreptione itineris ad ſuperiorem ex cauſa gravaminis accepti, *c. meminimus* 9. *c. cum dilecti* 52. *hoc tit. c. cum olim, in fine, de dolo & contum.* Unde in præſenti textu per ſubjectionem Romanæ Sedi ſuſpenſa fuit juriſdictio judicis inferioris quoad cauſam, de qua agebatur tantum.

C A P U T XXXV.

Idem a *Tarracon. Archiepiſcopo.*

ACcepta conqueſtione Canonicorum *b* Pampilon. quod dilectus filius noſter Rex *c* Navarrorum eos bonis ſuis ſpoliaſſet, cauſam ipſam tuæ fraternitati ad eorum petitionem duximus committendam, & ſine canonico terminandam. Verum quoniam nobis tacuerunt, quod ab audientia tua fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum; nec nos, ſi hoc nobis conſtitiſſet, ipſam cauſam tuo commiſiſſemus examini, cum non debeat ad eos cauſa remitti, a quibus noſcitur appellatum, niſi partes in hoc conſentirent: f. t. per A. ſ. præ. & arctius inhibemus, ne in executione ipſius negotii occaſione litterarum noſtrarum aliqua ratione procedas.

N O T Æ.

1 a TArracon.) Ita legitur *in cap.* 2. *de reſcriptis, in* 2. *collect.* ideſt Ugoni Cervellon, Præſuli Tarraconenſi, cujus necem a propriis accolis illatam ob infeudationem civitatis Tarraconenſis, fuſe narrat Zurita *annal. Arag. anno* 1170. *cap.* 31. De Eccleſia Tarraconenſi nonnulla adduxi *in c.* 24. *de jurejur.*

2 b *Pampilon.*) Pampilonenſis urbs totius Regni Navarræ Metropolis, ſita eſt in læta, & fertiliſſima convalle juxta Argam fluvium, a Pompejo Magno condita, ut ex veteribus inſcriptionibus probat Arnaldus Oihenarte *in notitia Vaſconiæ, lib.* 2. *cap.* 2. Eccleſiam Cathedralem jam a primis Eccleſiæ ſæculis habuiſſe, conſtat ex diviſione Epiſcopatuum a Conſtantino facta, quæ extat poſt Concil. Tolet. 3. apud Loayſam, & late probant D. Prudentius a Sandoval *in hiſt. Pampil.* Tamayo a Salazar *in Martyrol. Hiſpan. die* 7. *April.*

c *Rex Navarrorum.*) Sancius videlicet cognomento Sapiens, qui floruit uſque ad annum 1194. ut ex R. Tolet. & aliis probat Arnaldus Oihenarte *d. lib.* 2. *c.* 14. *in fine.*

COMMENTARIUM.

CErtum eſt, utroque jure cautum eſſe, ne a judice ad 3
quem appellatum eſt, cauſæ cognitio remittatur ad eum, a quo appellatum fuit, *l. eos, C. hoc titul. c. placuit* 2. *q.* 6. *c.* 2. *de matrim. contract. c.* 2. & 3. *de libelli oblat.* cum hac tamen exceptione, niſi partes conſenſerint, ut cauſa remittatur ad eum, a quo appellatum eſt, *c. interpoſita*, §. *ille, hoc tit.* Etiam remitti poteſt cauſa ad ipſum, ſi dubium eſt, an juſte, vel injuſte appellatum fuit, *c. dilecto, de teſtib.* Item ſi cauſa ipſa appellationis non probetur, ut *in c.* 1. *de matrim. contract.* ubi eadem cauſa remittitur ad judicem, a quo appellatum fuit. Nam reſpondetur in ejus textus ſpecie ad judicem a quo non remitti ipſius cauſæ cognitionem, ſed executionem decreti Pontificii, quo confirmabatur ſententia judicis inferioris, a quo appellatum fuerat: quo modo etiam accipiendi ſunt textus *in c. ex litteris ſancti Silvani, de ſponſal.* quod plerumque contingit. Confirmata enim ſententia prioris judicis, executio eidem committitur, ideſt judici a quo, *c. ut debitus, hoc tit. c.* 1. *qui filii ſint legit. in* 3. *collect.* docent Cujacius in præſenti, & *in cap.* 4. *de matrim. contract.* Pichardus *in manud.* 4. *part. præcept.* 6. §. 6.

C A P U T XXXVI.

a Lucius III. *Lincoln. Epiſcopo.*

POſtremo fraternitati tuæ litteris præſentibus intimamus, quod ſi cauſa aliqua alicui fuerit delegata, quia *b* conſanguineus ſit illius, qui litteras impetravit, aut in eodem negotio *c* advocati officio functus, aut ex alia quacumque juſta cauſa ſuſpectus, hujuſmodi delegatus non immerito poterit recuſari, quamvis ap. *d* rem. fuerit ei negotium delegatum.

N O T Æ.

1 a Lucius III.) Poſt Concil. Lateran. *part.* 10. *c.* 18. legitur etiam *Lincoln.* in prima autem collectione, *ſub hoc tit. c.* 45. habetur *Vuallincon.* & adjicitur *Pars capitis ad aures*, unde apparet retinendam eſſe inſcriptionem, quæ habet *Lincoln.* ut legitur *in c. ad aures* 8. *de reſcript.* ubi extat prior pars hujus Decretalis. Miſſa eſt ergo præſens conſtitutio ad Gualterum Epiſcopum Lincolnienſem Angliæ, quem ex Archidiacono Oxonienſi in Epiſcopum Lincolnienſem confirmatum fuiſſe a Richardo Cantuar. Archiep. refert Matthæus Paris, & ex eo Cujacius in præf.

b *Conſanguineus.*) Conſanguinitas enim, vel affinitas præſtat juſtam cauſam recuſationis judicis: ſed uſque ad quem gradum hæc recuſatio extendatur, late diſputat poſt alios Carraſco *ad leges recopil. tract. de recuſ. c.* 9. *n.* 111. *cum ſeq.*

c *Advocati.*) *Cap.* 4. *ut lite non conteſt. l. Prætor, ff. de juriſd. l. ultim. Cod. de aſſeſſor.* ut etiam in teſte deciditur *in l. ultim. de teſtib.* docent Ripol. Carraſco, & alii *de recuſ. judic.* agentes.

d *Ap. rem.*) An per hanc clauſulam ſublata etiam ſit facultas recuſandi judicem, diſputant Balboa *in c.* 12. *hoc tit.* Fermoſinus *in c.* 4. *de foro compet. q.* 41. & nos expoſuimus *in d. c. ſuper eo* 12.

C A P U T XXXVII.

Idem a *Norvvicenſi Epiſcopo.*

AD hæc quoniam ſub interdicto aliqui conſtituti appellant, & deinde interdictum ſervare contemnunt, quid in hoc caſu ſervandum ſit, conſulere voluiſti? Noveris, quod ſicut poſt appellationem excommunicari non poſſunt, ſic interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos conſtat ſuppoſitos, declinare.

N O T Æ.

1 a Norvvicen.) In prima collectione, *ſub hoc tit.* 46. legitur *Novarienſi*, & adjicitur, *pars capitis Quæſitum*; unde depromitur, in præſenti referri ſecundam partem epiſtolæ decretalis Alexandri III. miſſæ Epiſcopo Novarienſi, cujus prior pars refertur *in cap.* 2. *de offic. deleg. in* 2. *collect.* Alia etiam ejus pars extat *in c. ſi autem* 9. *de reſcript.* ubi nonnulla de Novarienſi Eccleſia adduxi. Commentarium hujus textus dabimus *in c. dilecto* 55. *infra.*

C A P U T XXXVIII.

a Clemens III.

CUM in Eccleſia, &c. *Et infra:* Accepimus a ven. f. n. Lingon. Epiſcopo tranſmiſſa nobis conqueſtione querelam, quod quidam clerici de Galandenam, non gravaminis neceſſitate compulſi, & nullius oppreſſionis mole gravati, ſed ſolo prætextu excutiendi a ſe jugum Eccleſiaſticæ *b* diſciplinæ, ut poſſint liberius in ſui erroris, & iniqui propoſiti libertate bacchari, ab audientia ſua vocem appellationis emittunt, & occaſione judicii tui, quod velle obſervare ſe jactant, ejuſdem judicis ordinarii ſine cauſa rationabili cognitionem evitant. Unde diſc. t. per A. ſ. m. quat. ſi quando contigerit aliquem de prædictis clericis a præfato Epiſcopo ad tuam audientiam appellare, non ante audientiam ſibi præbeas, nec ejus appellationem admittas, quam tibi conſtiterit, appellationem ipſius; vel gravamine, vel injuſta condemnatione porrectam. Alioquin ipſum ad præfati Epiſcopi audientiam rem. ap. *c* remittas, in ſuæ diſcuſſionis examine juſto ejus judicio pariturum. Sic enim contumacia refrænabitur improborum, & honor Coepiſcopis debitus per ſupernæ viciſſitudinis obſervantiam in ſua libertate conſiſtet.

N O T Æ.

1 a Clemens III.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 11. nec exprimitur Prælatus, cui reſcribat Clemens; ſed facile ex ipſa textus ſerie, & contextura depromitur ſcribere Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo; cum enim agat Clemens de appellatione interpoſita ab Epiſcopo Lincolnienſi, neceſſario debet ſupponi a l Archiepiſcopum Cantuarienſem ejus immediatum ſuperiorem fuiſſe appellatum cum regulariter ad proximum ſuperiorem ſit appellandum, ut dicemus infra *in c. dilecti* 52.

2 b *Diſciplinæ.*) Si autem a correctione fraterna appellaretur, ipſo jure appellatio nulla eſſet, niſi in modo daretur exceſſus, juxta adducta *in c. irrefragabili, de offic. Ordin.*

3 c *Remittas.*) Certum eſt, quod ſi conſtiterit, male appellatum eſſe, cauſam remitti debere ad judicem a quo, *capit. ut debitus* 59. *§. cum autem, cap. cum ſpeciali* 61. *§. fin. hoc titul. cap. Romana* 3. *§. final. cap. cum appellatione* 5. *hoc titul. in* 6. niſi partes conſenſerint: quo modo textum *in cap. accepta* 35. *hoc tit.* accipit Vighellius *in method. juris can. lib.* 2. *regul.* 20. *fol.* 209.

C A P U T XXXIX.

a Idem.

DIrectæ nobis tuæ litteræ deſtinarunt, quod cum in præſentia tua cauſa cujuſdam matrimonii tractaretur, in qua pars viri conſanguinitatis vinculum opponebat, & pars mulieris ad Sedem Apoſtolicam appellaſſet, nec appellationem ſuam præfixo termino ad proſecutionem ipſius, vel ad recipiendos Apoſtolos fuiſſet adveniente termino proſequuta, poſtmodum accedente parte mulieris ejuſdem, & renuntiante *b* appellationi, quam fecerat, in cauſæ cognitione procedens *c* de parentela teſtes, & dicta teſtium recepiſti. Verum quia mulieris pars iterum appellavit, & a nobis poſtulas edoceri, utrum ad calculum ſententiæ procedere valeas, præſenti pagina reſpondemus, quod licet juxta decretum *d* Lateran. Concilii, poſtquam in termino proſequendæ appellationi ſtatuto appellans ſuam appellationem proſequutus non fuerit, auctoritate tua libere *e* uti poteris, tamen quia iterum appellavit, cum ſecundum jura eis licuerit in eadem cauſa appellare ſecundo, a juriſdictione tua ſe fecit *f* exemptam, præſertim cum hic ad ſeparationem matrimonii quod eſt res *g* favorabilis, intentio viri procedat, nihilque agendum ſit, niſi quod ſuſpicione careat, quod & irreprehenſibile cenſeatur. Alius vero judex poterit eamdem cauſam juxta dicta teſtium, qui poſt renunciationem primæ appellationis rite admiſſi fuerint, & alia, ſi qua adhuc potuerunt in eadem cauſa produci, ſecundum Deum, & ſancita Canonum terminare.

N O T Æ.

1 a Idem.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 13. nullibi tamen exprimitur Prælatus cui reſcribat Clemens, licet ex lite, quæ in hoc textu diſceptatur, liqueat cum Epiſcopo ipſum loqui, quia ille eſt proprius, & ordinarius judex cauſarum matrimonialium, ut probavi *in c.* 1. *ut lite non conteſt.*

2 b *Appellationi.*) Cui renunciari poterit, *l. ſi quis* 28. *Cod. hoc tit.* ex vulgari principio legis *ſi quis in conſcribendo, C. de pactis*: appellatio enim primo, & principaliter favore litigantis introducta eſt, *l.* 11. *C. Theod. hoc tit.* quare recte poteſt remitti, *l. ult. §. ult. C. de tempor. appel.* ſola profeſſione, *l.* 1. *C. a quibus appellare.* Unde & illi expreſſe renuntiare condemnatus poteſt, *c. quamvis, de elect. lib.* 6. *cap. interpoſita* 70. *§. ſecundo hoc titul.* ubi dicemus.

3 c *De parentela.*) Qui admittitur ad probandam conſanguinitatem, quia melius conſanguinei, quam alii ſcire poſſunt gradus conſanguinitatis, ut probavi *in cap.* 5. *de teſtib.*

d *Lateran.*) De quo *in c.* 26. & 44. *hoc tit.*

e *Uti poteris.*) Juxta adducta *in c.* 5. *hoc tit.* ex cujus commentario præſens petendum eſt.

f *Exemptam.*) Ideſt quoad eam cauſam, mediante appellatione judex eſſe deſinit; ut dicitur *in l.* 13. *C. Theodoſ. hoc tit.*

4 g *Favorabilis.*) *Cap. ult. de condit. appoſ. cap.* 3. *qui matrimonia accuſ.* & quia nunquam ſententia ſuper matrimonio lata in rem judicatam tranſit, *cap. tenor, cap. lator*, ubi probavi, *de re judic.*

C A P U T XL.

a Cæleſtinus III.

PRæterea requiſiti fuimus, ſi quis judex ita protulerit ſententiam: Niſi Sempronio infra xx. dies *b* ſatisfeceris, te *c* excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut interdictum eſſe cognoſcas; & ille, in quem fertur ſententia, medio tempore appellans, ad diem ſtatutum minime ſatisfecit, utrum ille tali ſententia ligetur, aut interpoſitione appellationis tutus exiſtat. Videtur autem nobis, quod hujuſmodi ſententia obſtaculum appellationis debeat impedire.

N O T Æ.

1 a Cæleſtinus III.) In ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 14. ubi etiam tribuitur textus iſte Cæleſtino III. additur *pars capitis A nobis*, quibus innuitur in præſenti referri ſecundam partem textus *in c. a nobis fuit, de ſent. excomm.* quod & materia eadem, quæ in utroque textu diſceptatur, ſuadet.

2 b *Satisfeceris.*) Imo ſententia ſub conditione ferri non poteſt, *l.* 1. *§. biduum, ff. quando appellandum.* Quæ extat apud Gratianum *in c. biduum* 2. *q.* 6. quia cum actus legitimus ſit, *l. legitima, C. de pactis*, per conſequens ſub conditione pronunciari nequit, *ex l. actus legitimi, ff. de R. J.* Sed reſpondetur id non procedere in ſententia interlocutoria, ex textu *in l. a Divo* 15. *§. in venditione, ff. de re judic.* imo & definitivam ſententiam ſub conditione proferri poſſe eo caſu, quo conditio ex his pendet, quæ in judicio geruntur, tradit Accurſius *in l. cum judex, C. de ſent. & interl.* veluti ſi judex pronunciaverit: Si Mævius actor juraverit Titium ſibi debere centum aureos, Titius eos Mævio dare damnas eſto. Docet Vultej. *de judic. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 64. Licet enim ſententia actus legitimus ſit, non tamen ex relatis *in d. l. actus*; qui tamen conditionem, & diem excludunt, ut in eo textu notarunt Gothofredus, Petrus Faber, & Balboa in præſenti.

3 c *Excommunicatum.*) Imo ſententia excommunicationis ita pro futura culpa imponi non poteſt, *c. Romana, §. caveat, de ſent. excom. lib.* 6. docent late Gutrier. *lib.* 1. *canonic. c.* 4. Covar. *in c. alma*, 1. *p. §.* 9. *n.* 5. *de ſent. excom.* Suarez *de cenſur. diſp.* 3. *ſect.* 4. plures congeſti a Cenedo *collect.* 8. *ad Sextum.* Pro cujus difficultatis ſolutione Gloſſa *in d. §. caveant*, exiſtimavit, ſtatuto, aut lege particulari caveri poſſe, ut pro futura culpa excommunicatio incurratur, non vero id ſententia hominis ſtatui poſſe. Sed hæc diſtinctio facile convincitur *ex c. a nobis, de ſent. excom.* ubi refertur prior pars hujus textus, & docetur, excommunicationem in hunc modum ab homine ferri poſſe: Quiſquis fecerit, excommunicatus ſit. Idem ſuadetur *ex c.* 2. *de matrim. contract. c. ut animarum* 2. *de conſtit. lib.* 6. & facit ratio aſſignata a Patre Suario, quia videlicet ſpectata natura cenſuræ, non magis repugnat eam ferri per ſententiam, quam per legem; cum enim talis ſententia ſit conditionata, non punit peccatum antequam fuerit commiſſum; quia non habet effectum niſi impleta conditione; quæ eſt perpetratio criminis. Unde cenſuram ab homine pro futuris culpis imponi poſſe, docuerunt Covar. *in c. alma*, 1. *p. §.* 10. *n.* 1. Sayrus *lib.* 1. *theſauri, c.* 9. Guttierez *lib.* 1. *canonic. c.* 4. proſequitur Gibal. *de cenſur. diſquiſ.* 5. *q.* 3. *n.* 18. nec prohibet Innocent. IV. *in d. c. Romana*, ejuſmodi excommunicationes pro futuris culpis, ſed monet tantum, ne paſſim, & abſque gravi cauſa imponantur; quod ſatis indicat verbum illud, *caveant*, præterea quia proferri permittit, ubi rationabilis cauſa adeſt. Igitur quia generaliter licet juſtis ex cauſis etiam pro futuris culpis excommunicationem proferre.

C A P U T XLI.

a Idem.

SEcundo requiris, cum pluribus articulis in una commiſſione poſitis, in uno tantum contingit appellationem expreſſe vetari, utrum appellatio teneat, ſi ſuper aliis fuerit appellatum? In quo taliter reſpondemus, quod cum ſecundum Beatum Gregorium verba intentioni deſerviant, & hæc ſit noſtræ mentis, ut de omnibus articulis, quæ in commiſſione noſtra ponuntur, juſtitia non obſtante ap. ſuum conſequatur effectum, in omnibus appellatio intelligatur interdicta; nihil enim intereſt, utrum primo, an ſecundo, medio, an in fine appellatio inhibeatur, cum ſicut nos docent utriuſque juris argumenta expreſſa, & ea quæ in principio reſcriptorum ponuntur, ad medium, & ad finem; illa vero, quæ in medio, ad finem, atque principium ſæpe referri contingat. Tertio poſtulas edoceri, cum aliquis judicem tanquam ſuſpectum recuſat, an cauſam ſuſpicionis debeat allegare; & eam, niſi manifeſta ſit, coram eodem judice probare teneatur? Utrum etiam judex poſſit ib ipſo judicio, & negotio procedere, ſi ille qui ſuſpicionem objicit, cauſam ejus non velit, vel non poſſit in jure probare? In hoc nimirum duximus dandum tale conſultationi tuæ reſponſum, quod cum aliquis judicem ſuſpectum ſe habere proponit, ſuſpicionis cauſam coram eodem judice allegare tenetur, ne poſſit alias quilibet pro ſuæ voluntatis arbitrio quodlibet judicium fruſtratorie declinare; ſed partes, ut in aliquem judicem, vel aliquos non valde remotos conveniant, per eumdem tamen judicem, qui nominatur ſuſpectus, debent cogi, coram quo, vel quibus, ſi cauſa ſuſpicionis infra terminum competentem probata non fuerit, tunc demum auctoritate ſua utetur. Quod ſi coram ipſis in quos convenitur, ejuſdem fuerit cauſa ſuſpicionis probata, judex recuſatus a cauſæ cognitione ſuperſedere tenebitur. Ipſa utique ratio dictat, & plurimis comprobatur exemplis, quod nihil gratius, vel amabilius dare quis magis valet inimico, quam ſi ad impetendum commiſerit, quem lædere, & damnificare intendit. Illam vero præterea quæſtionem quarto loco proponis, utrum judex poſſit de officio ſuo cognoſcere, an fruſtratorie ſit, an ex cauſa rationabili appellatum: & ſi appellans rationabilem appellationis cauſam non oppoſuerit, aut non probaverit quam opponit, an judex hujus appellationis obtentu teneatur a cauſæ cognitione ceſſare. Hic autem non placuit definire, quam ab anteceſſoribus noſtris, & utriuſque juris peritis fuit definitum. Cautum eſt enim in lege, quod ap. interpoſita, ſive ea recepta ſit, ſive non, tempore medio nihil innovari oportet: & canonica nihilominus tenent inſtituta; ut qui volunt, vel quibus neceſſe fuerit, ad Romanam Eccleſiam, quaſi ad caput ſuum, confugere poſſint, & ſine impedimento quolibet appellare: ad quam nimirum ſine ulla calumnia, vel cuſtodia, vel excommunicatione, vel excuſatione, vel damnatione, vel ſpoliatione ire libere concedatur, quæ ſecundum ſanctorum Canonum ſanctiones paſſim appellare permittit. Ideo judex cum ante ſe cauſam tractaverit, quam ſic per appellationem ſuſpenſam eſſe cognoverit, a cognitione cauſæ quam citius abſtineat.

N O T Æ.

1 a Idem.) Ita etiam legitur *In c.* 6. *hoc tit. in* 2. *collect.* ubi adjicitur *pars capitis Prudentiam*, ut agnoſcamus præſentem textum ſpectare ad diffuſam Cæleſtini Decretalem relatam *in c. Prudentiam* 21. *de offic. deleg.* ubi alias ejus partes in hoc volumine ſparſas congeſſi, ex quibus ſupplenda eſt integra hujus textus, & ejus inſcriptio reſtituenda, prout jam notavi *in d. c. Prudentiam, n.* 1.

COMMENTARIUM.

2 CErtum utriuſque juris principium eſt, clauſulam generalem, *appellatione remota*, in quacumque reſcripti parte appoſitam referri ad omnia delegationis capita, tam in præcedentia, quam ſequentia, *Clement. ex his, §. deciſionis, de V. S. l.* 2. *§. filius intermedias, ff. de lib. & poſthum. l. fin. ff. de reb. dub. l. talis* 30. *§. fin. ff. de legat.* 1. *l.* 1. *C. de lib. & poſthum. l. ſi quis ex argentariis, §. ſi convicium, ff. de edendo*; quem textum ad id expendit Menochius *lib.* 2. *de arbitr. caſu* 64. quibus conſonat lex 9. *tit.* 3. *par.* 6. ubi Gregorius *gloſ.* 4. Ratio eſt, quia nulla ſpecialitas datur, cur magis ad unum capitulum, quam ad aliud clauſula extendatur; imo intentio delegantis ea videtur, ut ad omnia referatur, quæ potius quam verba attendenda eſt, *l. Labeo, ff. de ſupellect. legat. c. humanæ* 22. *q.* 2. diſputant Sarmiento *in d. l.* 2. *§. filius; ex n.* 10. *de liberis & poſthum.* Felinus *in c. cauſam quæ, n.* 25. *de reſcript.* Nec tunc obſtat textus *in c. inquiſitioni* 71. *hoc tit.* ubi docetur, clauſulam, *appellatione remota*, in medio reſcripti appoſitam, ſolum ad præcedentia, non vero ad ſequentia referri. Nam rejecta interpretatione Decii ibi, dum docet in eo textu id contingere, quia clauſula, *appellatione remota*, odioſa eſt, cum auferat remedium appellationis a jure oppreſſis conceſſum; nam ea facile refellitur, tum ex præſenti textu, qui in eiſdem terminis clauſulæ *appellatione remota*, loquitur; tum *ex d. l.* 2. *§. filius, ff. de liber. & poſthum.* ubi exhæredatio, quæ odioſa eſt, *l. cum quidam, ff. eod. tit.* refertur tam ad præcedentia, quam ſequentia, omiſſa etiam alia ſubtili conſideratione Sarmienti ubi proxime, *n.* 16. reſpondendum eſt, præſentem textum procedere cum negotium unum erat, licet diverſa capita complectens: quo caſu clauſula *appellatione remota*, in qualibet parte adjecta, refertur ad omnia ipſius negotii capitula, tam præcedentia, quam ſequentia: textus vero *in d. c. Inquiſitioni*, loquitur quando omnia ſeparata, & diverſa ſunt negotia, & minime ſe contingentia, ut conſtat ex illis verbis: *Si ſunt plura negotia.* Nam tunc clauſula in uno adjecta refertur ad alia, etiamſi ſit una commiſſio, ſeu delegatio, ut explicat Cardinalis in præſenti, & *conſ.* 124. Nec obſtabit ſi dicas